



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 12. At illi dixerunt: vbi vis paremus? v. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

nes subditi, filii famulique se in ista virtute exerçant, & vitium illi oppositum detestentur.

§. 12. *At illi dixerunt: vbi vis paremus? v. 9.*

Cum iam post monitionem Discipulorum Christus Dominus duos & collegio suo Legatos designasset Petrum & Iohannem, qui ad paranda paschalia impendia irent, (vtrique nouo exemplo, cum precedentibus annis, id munus indubiè obierit Iudas Iscariothes, qui modo prodicionis consiliis occupatus erat) prudentiam quoque suam in eo monstrarunt Legati quod cæcè seu stupidè non abierint, sed de loco parandi necessaria, Magistri mentem prius requisierint dicentes: *Vbi vis paremus?*

Benè, benè fecistis vos Legati, qui mentem vos ablegantis Domini benè perquisistis, ut benefungi possitis officio vestro, & gratam rem præstare Magistro & Domino vestro. Ego vos nunc cum Domino beatos interpello & oro, ut mihi & omnibus Ministris gratiam impetretis, ut rationaliter in cunctis officiis & negotiis demandatis procedamus, maxime autem ut semper & in omniibus, ad mentem & voluntatem principalium nostrorū attendamus, veluti regulam, illique nos per omnia studiosissime conformare laboremus. & Tu Dñe Iesu Christe fac, ut quæ præcipis & vis, sicut hi duo dilecti tibi discipuli, intelligamus rectè, & impleamus exactè, voluntatem nostram peruersam corrige, veram atque perfectam largire obedientiam, qua non tantum mandatis tuis obtemperemus, sed etiam consiliis atque inspirationibus tuis, sine vlla contradictione & repugnantia, obsequamur.

§. 13. *Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in Civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aqua portans. v. 10.*

Bonam vidimus prudentiam Discipulorum in quærendo, videamus nunc maiorem in Magistro eorum. Quæsierant de loco ubi pararent necessaria ad Pascha, ille locum designat, sed non sine miraculo inueniendum à suis Legatis. A deo ut, dum eos docet inuenire locum corporalem, ipse sibi ipsamet in eorum animabus locum pareret per fidei experimenta tanta, quanta nemo potest facere, nisi vel Deus sit, vel Deus cum eo fuerit. nam futurum contingens ostendit esse in sua scientia, & potestate, ut illud videntes, de cætero sibi dicturo, *Hoc est Corpus meum*, non diffidant.

Video Domine, ô sapientia æterna, quod omnia in sapientia disponis suaviter, mittis quasi in incertum dilectos tibi Apostolos, fide, amore, & obedientia insigniores, ut inueniant quod quærant, inuenientes credant, firmius amore perficiant, quod mandasti; obedientia impleant perfectius mandatum